

1181. VII, 13-7 — Bula do Papa Calisto III, *Inter cetera que nobis*, pela qual outorgou e concedeu à Ordem de Cristo o espirital de todas as ilhas, desde os Cabos do Bojador e Não por toda a Guiné até à Índia assim do adquirido como do que se adquirisse, determinando que o seu descobrimento só podia ser feito pelos reis de Portugal, e confirmando as bulas de Martinho V e Nicolau V, a respeito da mesma matéria. Roma, 1455, Março, 13. — *Pergaminho. Bom estado.*

*In nomine Domini. Amen.*

*Noverint universi presens publicum instrumentum inspecturi quod anno a Nativitate Domini millessimo quatuorcentesimo sexto decima sexta mensis Augusti coram egregio legum doctore Lupo Vallasci de Serpa illustrissimi domini vestri Alfonsi Portugallie et Algarbil regis Cepteque domini et in ejus sacro pallacio supplicationum expeditore in presencia mei notarii et testium infra scriptorum in domo habitationis ejusdem doctoris comparuit Alvarus Petri legum licenciatus et ejusdem serenissimi regis generalis et legitimus procurator et ejus nomine presentavit dicto doctore quasdam literas apostolicas Calisti Pape tertii quasdam alias Nicolai Pape quinti in se continentes non viciosas non rasas non cancellatas set omni suspicione carentes et sigillo pumblio (*sic*) sigillatas. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis.*

*Calistus episcopus servus servorum Dei.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Inter cetera que nobis divina disponente clementia incumbunt peragenda ad id nimirum solliciti corde reddimur ut singulis locis et presertim*

que sarracenis sunt finitima divinus cultus ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei et fidei christiane exaltacionem jugeot et continuum suscipiat incrementum et que regibus et principibus per predecessores nostros romanos pontifices benemerito concessa sunt ex causis legitimis emanarunt ut omnibus sublati dubitacionibus robur perpetue firmitatis obtineant apostolico munimine solidemus. *Dudum* siquidem felicitis recordationis Nicolaus Papa v. predecessor noster litteras concessit tenoris subsequentis.

*Nicolaus* episcopus servus servorum Dei.

*Ad* perpetuam rei memoriam.

*Romanus* pontifex regni celestis clavigeri successor et vicarius Jhesu Christi cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates paterna consideratione discutiens ac salutem querens et appetens singulorum illa propensa deliberatione salubriter ordinat et disponit que grata divine majestati fore conspicit et per que oves sibi divinitus creditas ad unicum ovile dominicum reducat et acquirat eis felicitatis eterne premium ac veniam impetret animabus que eo certius auctore domino prevenire credimus si condignis favoribus et spetialibus gratiis eos catholicos prosequamur reges et principes quos veluti christiane fidei athletas et intrepidos pugiles nonmodo saracenorum ceterorumque infidelium christianis nominis inimicorum feritatem reprimere sed etiam ipsos eorumque regna ac loca etiam in longissimis nobisque incognitis partibus consistentia pro defensione et augmento fidei hujusmodi debellare suoque temporali dominio subdere nullis parcendo laboribus et expensis facti evidentia cognoscimus ut reges et principes ipsi sublati quibusvis dispendiis ad tam saluberrimum tanque laudabile prosequendum opus peramplius animentur.

*Ad* nostrum siquidem nuper non sine ingenti gaudio et nostre mentis letitia pervenit auditum quod dilectus filius nobilis vir Henricus infans Portugalie carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Portugalie et Algarbii regnorum regis illustris patruus inherens vestigiis clare memorie Johannis dictorum regnorum regis ejus genitoris ac zelo salutis animarum et fidei ardore plurimum succensus tanquam catholicus et verus omnium creatoris Christi miles ipsiusque fidei acerrimus et fortissimus defensor et intrepidus pugil ejusdem creatoris gloriosissimum nomen per universum terrarum orbem etiam in remotissimis et incognitis [locis di]vulgari extolli et venerari necnon illius ac mirifice qua redempti sumus crucis inimicos perfidos sarracenos videlicet ac quoscumque alios infideles ad ipsius fidei gremium reduci ab ejus ineunte etate totis aspirans viribus post Ceptensem civitatem in Affrica consistentem per dictum Johannem regem ejus subactam dominio et post multa per ipsum infantem nomine tamen dicti regis contra hostes et infideles predictos quandoque etiam in propria persona non absque maximis laboribus et expensis ac rerum et personarum periculis et jactura plurimorumque naturalium suorum cede gesta bella ex tot tantisque laboribus periculis et damnis non fractus nec territus sed ad hujusmodi laudabilis et pii propositi sui prosecutionem in dies magis

atque magis exardescens in Oceano mari quasdam solitarias insulas fidelibus populavit ac fundari et construi inibi fecit ecclesias et alia loca pia in quibus divina celebrantur officia ex dicti quoque infantis laudabili opera et industria quamplures diversarum in dicto mari existentium insularum incole seu habitatores ad veri Dei cognitionem venientes sacrum baptismum susceperunt ad ipsius Dei laudem et gloriam ac plurimorum animarum salutem orthodoxe quoque fidei propagationem et divini cultus augmentum. *Preterea* cum olim ad ipsius infantis pervenisset notitiam quod nunquam vel saltem a memoria hominum non consuevissent per huiusmodi Oceanum mare versus meridionales et orientales plagas navigari illudque nobis occiduis adeo foret incognitum ut nullam de partium illarum gentibus certam notitiam haberemus credens se maximum in hoc Deo prestare obsequium si ejus opera et industria mare ipsum usque ad indos qui Christi nomen colere dicuntur navigabile fieret sicque cum eis participare et illos in christianorum auxilium adversus sarracenos et alios huiusmodi fidei hostes commovere posset ac nonnullos gentiles seu paganos nefandissimi Machometi secta minime (*sic*) infectos populos inibi medio existentes continuo debellare eisque incognitum sactissimum Christi nomen predicare ac facere predicari regia tamen semper auctoritate munitus a vigintiquinque annis citra exercitum ex dictorum regnorum gentibus maximis cum laboribus periculis et expensis in velocissimis navibus caravelis nuncupatis ad perquirendum mare et provincias maritimas versus meridionales partes et Polum Antarticum annis singulis fere mittere non cessavit sicque factum est ut cum naves huiusmodi quamplures portus insulas et maria perlustrassent et occupassent ad Guineam provinciam tandem pervenirent occupatisque nonnullis insulis portibus ac mari eidem provincie adjacentibus ulterius navigantes ad hostium (*sic*) cujusdam magni fluminis Nili communiter reputati pervenirent et contra illarum partium populos nomine ipsorum Alfonsi regis et infantis per aliquos annos guerra habita extitit et in illa quamplures inibi vicine insule debellate ac pacifice possesse fuerunt prout adhuc cum adjacenti mari possidentur. *Exinde* quoque multi Guinei at alii nigri vi capti quidam etiam non prohibitarum rerum permutatione seu alio legitimo contractu emptionis ad dicta sunt regna transmissi quorum inibi in copioso numero ad catholicam fidem conversi extiterunt speraturque divina favente clementia quod si huiusmodi cum eis continuetur progressus vel populi ipsi ad fidem convertentur vel saltem multorum ex eis anime Christo lucrificent.

*Cum* autem sicut accepimus licet rex et infans prefati qui cum tot tantisque periculis laboribus et expensis necnon perditione tot naturalium regnorum huiusmodi quorum inibi quamplures perierunt ipsorum naturalium duntaxat freti auxilio provincias illas perlustrari fecerunt ac portus insulas et maria huiusmodi acquisiverunt et possederunt ut prefertur ut illorum veri domini timentes ne aliqui cupiditate ducti ad partes illas navigarent et operis huiusmodi perfectionem fructum et laudem sibi usurpare vel saltem impedire cupientes propterea seu lucri commodo aut

malitia ferrum arma ligamina (*sic*) aliasque res et bona ad infideles deferri prohibita portarent vel transmitterent aut ipsos infideles navigandi modum edocerent propter que eis hostes fortiores ac duriores fierent et hujusmodi prosecutio vel impediretur vel forsitan penitus cessaret non absque Dei magna offensa et ingenti totius christianitatis obprobrio ad obviandum premissis ac pro suorum juris et possessionis conservatione sub certis tunc expressis gravissimis penis prohibuerint et generaliter statuerint quod nullus nisi cum suis nautis ac navibus et certi tributi solutione obtentaque prius desuper expressa ab eodem rege vel infante licentia ad dictas provincias navigare aut in earum portibus contractare seu in mari piscari presumeret.

*Tamen* successu temporis evenire posset quod aliorum regnorum seu nationum persone invidia malitia aut cupiditate ducti contra prohibitionem predictam absque licentia et tributi solutione hujusmodi ad dictas provincias accedere et in sic acquisitis provinciis portibus insulis ac mari navigare contractare et piscari presumerent et exinde inter Alfonsum regem ac infantem qui nullatenus se in hiis sic deludi paterentur et presumentes predictos quamplura odia rancores dissensiones guerre et scandala in maximam Dei offensam et animarum periculum verisimiliter subsequi possent et subsequerentur.

*Nos* premissa omnia et singula debita meditatione pensantes et attendentes quod cum olim prefato Alfonso regi quoscunque sarracenos et paganos aliosque Christi inimicos ubicunque constitutos ac regna ducatus principatus dominia possessiones et mobilia ac immobilia bona quecunque per eos detenta ac possessa invadendi conquirendi expugnandi debellandi et subjugandi illorumque personas in perpetuam servitutem redigendi ac regna ducatus comitatus principatus dominia possessiones et bona sibi et successoribus suis applicandi appropriandi ac in suos successorumque suorum usus et utilitatem convertendi aliis nostris litteris plenam et liberam inter cetera concesserimus facultatem dicte facultatis obtentu idem Alfonsus rex seu ejus auctoritate predictus infans juste et legitime insulas terras portus et maria hujusmodi acquisivit ac possedit et possidet illaque ad eundem Alfonsum regem et ipsius successores de jure spectant et pertinent nec quisvis alius etiam christifidelis absque ipsorum Alfonsi regis et successorum suorum licentia speciali de illis se hactenus intromittere licite potuit nec potest quoquomodo.

*Ut* ipse Alfonsus rex ejusque successores et infans eo ferventius huic tam piissimo ac preclaro et omni eus (*sic*) memoratu dignissimo operi in quo cum in illo animarum salus fidei augmentum et illius hostium depressio procurentur Dei ipsiusque fidei ac reipublice universalis ecclesie rem agi conspicimus insistere valeant et insistant quo sublatis quibusvis dispendiis amplioribus se per nos et sedem apostolicam favoribus ac gratiis munitos fore conspexerint de premissis omnibus et singulis plenissime informati motu proprio non ad ipsorum Alfonsi regis et infantis vel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam maturaque

prius desuper deliberatione prehabita auctoritate apostolica et ex certa scientia de apostolice potestatis plenitudine litteras facultatis prefatas quarum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro insertis cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis ad Ceptensem et predictam ac quecunque alia etiam ante datam dictarum facultatis litterarum acquisita et ad ea que imposterum nomine dictorum Alfonsi regis suorumque successorum et infantis in ipsis ac illis circumvicinis et ulterioribus ac remotioribus partibus de infidelium seu paganorum manibus acquiri poterunt provincias insulas portus et maria quecunque extendi et illa sub eisdem facultatis litteris comprehendere ipsarumque facultatis et presentium litterarum vigore jam acquisita et que in futurum acquiri contigerit postquam acquisita fuerint ad prefatos regem et successores suos ac infantem.

*Ipsamque* conquestam quam a capitibus de Bojador et de Nam usque per totam Guineam et ultra versus illam meridiionalem plagam extendi harum serie declaramus etiam ad ipsos Alfonsum regem et successores suos ac infantem et non ad aliquos alios spectasse et pertinuisse ac imperpetuum spectare et pertinere de jure necnon Alfonsum regem et successores suos ac infantem predictos in illis et circa ea quecunque prohibitiones statuta et mandata etiam penalia et cum cujusvis tributii impositione facere ac de ipsis ut de rebus propriis et aliis ipsorum dominiis disponere et ordinare potuisse ac nunc et in futurum posse libere ac licite tenore presentium decernimus et declaramus ac pro potioris juris et cautele suffragio jam acquisita et que imposterum acquiri contigerit provincias insulas portus loca et maria quecunque quotcunque et qualicunque fuerint ipsamque conquestam a capitibus de Bojador et de Nom predictis Alfonso regi et successoribus suis regibus dictorum regnorum ac infanti prefatis perpetuo donamus concedimus et appropriamus per presentes.

*Preterea* cum id ad perficiendum opus hujusmodi multipliciter sit oportunum quod Alfonsus rex et successores ac infans predicti necnon persone quibus hoc duxerint seu aliquis eorum duxerit committendum illius dicto Johanni regi per felicis recordationis Martinum V et alterius indultorum etiam inclite memorie Eduardo eorundem regnorum regi ejusdem Alfonsi regis genitori per pie memorie Eugenium iij romanos Pontifices predecessores nostros concessorum versus dictas partes cum quibusvis sarracenis et infidelibus de quibuscunque rebus et bonis ac victualibus emptiones et venditiones prout congruerit facere necnon quoscunque contractus inire transigere pacisci mercari ac negotiari et merces quascunque ad ipsorum sarracenorum et infidelium loca dummodo ferramenta ligamina (*sic*) funes naves seu armaturarum genera non sint deferre et ea dictis sarracenis et infidelibus vendere omnia quoque alia et singula in premissis et circa ea oportuna vel necessaria facere gerere vel exercere ipsique Alfonsus rex successores et infans in jam acquisitis et per eum acquirendis provinciis insulis ac locis quascunque ecclesias monasteria et alia pia loca fundare ac fundari et construere necnon quascunque voluntarias

personas ecclesiasticas seculares quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares de superiorum tamen suorum licentia ad illa transmittere ipseque persone inibi etiam quoad vixerint commorari ac quorumcunque in dictis partibus existentium vel accedentium confessiones audire illisque auditis in omnibus praeterquam sedi predictae reservatis casibus debitam absolutionem impendere ac penitentiam salutarem injungere.

*Necnon* ecclesiastica sacramenta ministrare valeant libere ac licite decernimus ipsisque Alfonso et successoribus suis regibus Portugaliae qui erunt imposterum et infanti prefato concedimus et indulgemus ac universos et singulos christifideles ecclesiasticos seculares et ordinum quorumcunque regulares ubilibet per orbem constitutos cujuscunque status gradus ordinis conditionis vel preeminentie fuerint etiamsi archiepiscopali episcopali imperiali regali reginali ducali seu alia quacunque majori ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant obsecramus in Domino et per aspersionem sanguinis Domini Nostri Jhesu Christi cujus ut premittitur res agitur exhortamur eisque in remissionem suorum peccaminum injungimus necnon hoc perpetuo prohibitionis edicto districtius inhibemus ne ad acquisita seu possessa nomine Alfonsi regis aut in conquesta hujusmodi consistentia provincias insulas portus maria et loca quecunque seu alias ipsis sarracennis infidelibus vel paganis arma ferrum ligamina (*sic*) aliaque a jure sarracenis deferri prohibita quoquomodo vel etiam absque specialis ipsius Alfonsi regis et successorum suorum et infantis licentia merces et alia a jure permissa deferre aut per maria hujusmodi navigare seu deferri vel navigari facere aut in illis piscari seu de provinciis insulis portibus maribus et locis seu aliquibus eorum aut de conquesta hujusmodi se intromittere vel aliquid per quod Alfonsus rex et successores sui et infans predicti quominus acquisita et possessa pacifice possideant ac conquestam hujusmodi prosequantur et faciant per se vel alium seu alios directe vel indirecte opere vel consilio facere aut impedire quoquomodo presumant qui vero contrarium fecerint ultra penas contra deferentes arma et alia prohibita sarracenis quibuscunque a jure promulgatas quas illos incurrere volumus ipso facto si persone fuerint singulares excommunicationis sententiam incurrant si communitas vel universitas civitatis castrum ville seu loci ipsa civitas castrum villa seu locus interdicto subiaceant eo ipso nec contrafacientes ipsi vel aliqui eorum ab excommunicationis sententia absolvantur nec interdicti hujusmodi relaxationem apostolicam vel alia quavis auctoritate obtinere possint nisi ipsi Alfonso et successoribus suis ac infanti prius pro premissis congrue satisfecerint aut desuper amicabiliter concordaverint cum eisdem mandantes per apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Ulixbonensi et Silvensi ac Ceptensi episcopis quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios quotiens pro parte Alfonsi regis et illius successorum ac infantis predictorum vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti vel aliquis ipsorum fuerit requisitus illos quos excommunicationis et interdicti sententias hujusmodi incurrisse constiterit tandiu dominicis

aliisque festivis diebus in ecclesiis dum inibi major populi multitudo conveniret at divina excommunicatos et interdictos aliisque penis predictis innodatos fuisse et esse auctoritate apostolica declarent et denuntient necnon ab aliis nuntiari et ab omnibus arctius evitari faciant donec pro premissis satisfecerint seu concordaverint ut prefertur contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo non obtantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque.

*Ceterum* ne presentes littere que a nobis de certa nostra scientia et matura desuper deliberatione prehabita emanarunt ut prefertur de surreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio a quoquam imposterum valeant impugnari volumus et auctoritate scientia ac potestate praedictis harum serie decernimus pariter et declaramus quod dicte littere et in eis contenta de surreptionis obreptionis vel nullitatis etiam exordinarie vel alterius cujuscunque potestatis aut quovis alio defectu impugnari illarumque effectus retardari vel impediri nullatenus possint sed imperpetuum valeant ac plenam obtineant roboris firmitatem irritum quoque sit et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Et* insuper quia difficile foret presentes nostras litteras ad quecunque loca deferre volumus et dicta auctoritate harum serie decernimus quod earum transumpto manu publica et sigillo episcopalis vel alicujus superioris ecclesiastice Curie munito plena fides adhibeatur et perinde stetur ac si dicte originalis littere forent exhibite vel ostense Et excommunicationis alieque sententie in illis contente infra duos menses computandos a die qua ipse presentes littere seu charte vel membrane earum tenorem in se continentes valuis ecclesie Ulixbonensis affixe fuerint perinde omnes et singulos contrafacientes supradictos ligent ac si ipse presentes littere eis personaliter et legitime intimate ac presentate fuissent.

*Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre declarationis constitutionis donationis concessionis appropriationis decreto (*sic*) obsecrationis exhortationis injunctionis inhibitionis mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Siquis* autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice milesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto sexto idus Januarii. Pontificatus nostri anno octavo.

*Cum* autem sicut pro parte Alfonsi regis et Henrici infantis predicatorum ipsi supra modum affectent quod spiritualitas in eisdem solitariis insulis terris portubus et locis in mari Oceano versus meridiionalem plagam in Guinea consistentibus quas idem infans de manibus sarracenorum manu armata extraxit et christiane religioni ut perfertur conquesivit prefate Militie Jhesu Christi cujus reddituum suffragio idem infans hujusmodi conquestam fecisse perhibetur per sedem apostolicam perpetuo

concedatur ac declaratio constitutio donatio concessio appropriatio decretum obsecratio exhortatio injunctio inhibitiō mandatum et voluntas necnon littere Nicolai predecessoris hujusmodi ac omnia et singula in eis contenta confirmentur.

*Quare* pro parte regis et infantis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum ut declarationi constitutioni donationi concessioni appropriationi decreto obsecrationi exhortationi injunctiōi inhibitiōi mandato et voluntati et litteris hujusmodi et in eis contentis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere necnon spiritualitatem ac omnimodam jurisdictionem ordinariam tam in predictis acquisitis quam aliis insulis terris et locis per eosdem regem et infantem seu eorum successorem in partibus dictorum sarracenorum in futurum acquirendis prefate Militie et ordini hujusmodi perpetuo concedere aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

*Nos* igitur attendentes religionem dicte Militie in eisdem insulis terris et locis fructus affere posse in domino salutare hujusmodi supplicationibus inclinati declarationem constitutionem donationem appropriationem decretum obsecrationem exhortationem injunctiōem inhibitiōem mandatum voluntatem litteras et contenta hujusmodi et indesecuta quaecunque rata et grata habentes illa omnia et singula auctoritate apostolica tenore presentium et certa scientia confirmamus et approbamus ac robori perpetue firmitatis subsistere decernimus supplentes omnes defectus si qui forsā intervenerint in eisdem et nichilominus auctoritate et scientia predictis perpetuo decernimus statuimus et ordinamus quod spiritualitas et omnimoda jurisdictio ordinaria dominium et potestas in spiritualibus duntaxat in insulis villis portibus terris et locis a capitibus de Bojador et de Nam usque per totam Guineam et ultra illam meredionalem plagam usque ad indos acquisitis et acquirendis quorum situs numerum qualitas vocabula designationes confines et loca presentibus pro expressis haberi volumus ad militiam et ordinem hujusmodi perpetuis futuris temporibus spectent atque pertineant illaque eis exnunc tenore auctoritate et scientia predictis concedimus et elargimus ita quod prior major pro tempore existentis ordinis dicte militie omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura secularia et ordinum quoruncunque regularia in insulis terris et locis predictis fundata et instituta seu fundanda et instituenda cujuscunque qualitatē et valoris existant seu fuerint quotiens illa in futurum vacare contigerit conferre et de illis providere necnon excommunicationis suspensionis privationis et interdicti aliasque ecclesiasticas sententias censuras et penas quociens opus fuerit ac rerum et negotiorum pro tempore ingruentium qualitas ad exegerit proferre omniaque alia et singula que locorum ordinarii in locis in quibus spiritualitatem habere censentur de jure vel consuetudine facere disponere et exequi possunt et consueverunt pariformiter absque ulla differentia facere disponere ordinare et exequi possit et debeat super quibus omnibus et singulis ei plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem decernentes

insulas terras et loca acquisita et acquirenda hujusmodi nullus diocesis existere ac irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

*Non* obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon statutis consuetudinibus privilegiis usibus et naturis dicte millitie jramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscunque.

*Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis approbationis constitutionis supplectionis decreti statuti ordinationis voluntatis concessionis et elargitionis infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Si* quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto tertio idus Martii, Pontificatus nostri anno primo.

*Quibus* quidem litteris sic presentatis prefatus procurator nomine dicti serenissimi regis dicto doctori exposuit quod pro servicio ejusdem regis oportebat ipsum habere unum vel plura transunta dictarum litterarum apostolicarum idcirco petebat per me notarium publicum infrascriptum cum auctoritate predicti doctoris sibi in publica forma concedi prefatus vero doctor auctoritate sui publici officii sibi fieri mandavit.

*Acta* fuerunt hec in civitate Ulixbonensi in predicta domo habitationis ejusdem doctoris anno mense et die quibus supra presentibus ibidem venerabilibus viris Alfonso Johannis Didaco Alfonsi Philippo Alfonsi et Alvaro Martini scpritoribus in curia prefati serenissimi regis testibus advocatis specialiter et rogatis.

*Et* ego Didacus Gonsalvi regali auctoritate publicus notarius predictarum litterarum apostolicarum presentacioni requisicioni et auctoritatis prestationi dum sic fierent et agerentur cum prenominais testibus presens fui et hoc presens publicum instrumentum manu propria scprisi et me subscripsi et signo meo signari.